

CONSILIARIUS

PRINCIPE DIGNUS

in

Funeralibus Exequiis

ILLUSTRISSIMI dùm viveret DOMINI

D. SAMUELIS KERESZTESI,

De Nagy-Megyér,

*Sacræ Cæsareæ Regiæque Majestatis in In-
clyto Transylvania Gubernio Regio Consi-
liarii intimi, Comitatus Alba-Juliacensis,
Comitis Supremi &c. &c.*

Familiae Ultimi.

Repræsentatus

^a
S. K. D. K.



C I B I N I I.

Excudit, MICHAEL HELTZDÖRFFER.

Annò M. DCC. VII.



Pensanda Vitiis bona cuiusque sunt
 & qua major pars Ingenii stetit
 ea judicandum de Homine est.

Habent bonæ apes, unde suum mel
 ab acri urtica decoquant, ara-
 neis etiam rosa sui veneni mate-
 ria, non quia rosa mala, sed
 quia nisi venenum quærit ara-
 nea.





Uemadmodum cocævus o-

rigini ac oscillationi pendulorum haud abfimilis Automaton naturalium instinctus, ad hoc tendit, ad hoc naturæ moventis Lex cuncta agitando obligat, ut sui Esse conseruent; quando magis nobili Rectore animata hæc hominis indoles est, hic in mundi Scenam introducti genius, ut quæ vulgò mala audiunt, hoc est, incommoda & injurias quouis modo incidentes, quantum potentia valet, propulset: Commoda autem ad se sui que conseruationem spectantia, omni studio sectari & promouere satagat. Ita juris est naturæ hominem ad illa ineptum, invalidum, egenum, insufficientem esse, nisi totum naturæ suæ jus, in Societatem, cujus primæ partes sui conseruatio, & penes quam, mala propulsandi, injurias arcendi, commoda, hoc est, cuncta securitatis Officia, procurandi, vires, facultates & potentia stat, contulerit. Quo alio tuti sumus, quam quod mutuis iuvamur officiis? hoc uno instructior vita, contraque incursiones subitas munitior est beneficiorum commercio. Facnos singulos; quid sumus? præda animalium & victimæ ac vilissimus & facillimus sanguis. Cæteris animalibus in tutela sui satis virium est: quæcunque vaga nascuntur, & actura vitam segre gem, armata sunt. Hominem imbecillitas cingit; non ungvium vis, non dentium, terribilem cæteris fecit. Nudum & infirmum Societas munit. Duas res dedit, quæ illum obnoxium cæteris, validissimum facerent, rationem & Societatem. Itaque qui par esse nulli posset, si diduceretur, rerum potitur. Societas illi dominium omnium animalium dedit. Societas terris genitum in alienæ natura

70.
tura transmisit imperium. Hæc morborum impetus arcuit, senectuti adminicula prospexit, solatia contra dolores dedit. Hæc fortes nos facit. Hanc tolle & unitatem generis humani, quâ vita sustinetur scindes, uti appositè Ethnicorum Philosophorum Chrysofostomus in Libro de *Beneficiis*. Vir enim virum, & urbs fervat urbem. Salus omnis in Sociis. Sed uti Societati quæ juræ naturæ in unum coivit, una mente regi, una voluntate obsequi necessum est: ita summorū in Societate in quos jus suum Societas transtulit hæc una Mens, hæc suprema Lex: Salus populi, censenda est. Quam exequi, est finem ob quem Societates coivere, assequi: Sed quo Civitatū dilatata magis pomæria, quo virtus Principis ferendo oneri pluribusq; par sit, quo plures salutem in uno invenisse non falso sibi persuadeant: Principi incumbit necessitas in partem curarum assumere Ministros, quorum Consiliis, quorum Ope omnium faciat Officium & jus quod Societas in unius arbitrium contulit, participet cum iis, vimque sui Principatus ita resolvat, ut legitima conditione imperandi sibi uni iterum reddi, instituat. Sintque aures, oculi non solum videntes, sed & semper, quid & addentes, ne dormire videantur, ut meritò utilissima & Principe omnium dignissima possessio, Consiliarius audiat.

Elegantissimæ, & vix ullo licet exquisitissimo artificio imitabilis humani Corporis fabricæ, partes, nobilioribus æque ac ignobilioribus dicatas functionibus, isto natura sibi mutuo nexuit ordine, istâ coaptavit necessitudine, ut unaquaque earundem suis nobilitata privilegiis, sed una alterius opis indiga, toti suam conferat symbolam, totam talitèr structuram fulciat, ut in unam re collectæ summam, nobilissimæ Creaturæ efforment Speciem: sed nisi e reconditis Cordis thalamis emanante spirituosi sanguinis incalescentia, animentur, effœtæ, inutiles, invalidæ sint, sui que motus principium, fontem & alimentum inde petant, inde effluum, illuc refluxum hauriant suæ vitalitatis balsamum, suorum quibus destinata sunt officiorum habitum, inde vigorem mutuentur: ut hoc foco sublato, nullum lumen, nullus calor,

DEC.

nec fumus sed favillæ imò algidi cineres, quavis aura dissipandi superfint:

Hac lege nititur Cœlestium quæ nos circumstant phœnomenon Systema, hoc jurè gaudet Syderum cursus, hoc nexu influens in nos apparentia. Quædam ardentes sui centri vibrant faces, effundunt proprii motus radios, scintillante perfringunt oculos rotatione: alia leni exceptum lumen remittunt radiatione, in se, tenebrosa sunt obducta opacitate, perpetuæ noctis speciem æmulante; sed quod amæno nobis appareant splendore, quod nunc hujus nunc illius partis luminoso amiciantur ornatu, quod obscuræ noctis pellant tædia, aliunde fœnerantur. Lunæ obversa Soli facies, de solari participat fulgore, averfa, absentiam solis pullato luget amictu. Planetas omnes Solis, non propria potentia illustres esse, Astronomorum est theorema; quorum licet in quantitate, distantia & comitatû ingens sit differitas, in hoc conveniunt omnes, quod remotissimus æquè ac proximus & remotissimorum pedissequi non minùs ac primipilus, unius Solis appareant ornati lumine.

E re Principis est, tales suarum pro salute Populi Curarum Socios, tales voluntatis haruspices, tales justis & æqui interpretes, tales internuntios Decretorumque executores assumere, qui juxta naturales motus leges moveantur in circulum & ut obvia quævis Corpora nisi mota, non item. Sint ii ex primoribus Populi, sint ex mediastinis vel ex ultimis; potestatem à summo imperante sibi mutuam esse, illius fenerato lumine alios illustrare, hujus amictu se ornari agnoscant, necessum est. Hoc ipsorum è Corpore Societatis delectus nititur fundamento, hoc in agendo stimulat calcar, omnia deligenti accepta ferenda esse. Splendore sangvinis, generisque amplitudine quo Principi propiores: eo uti originis ita officii frequentius admoniti generosæ indolis constantiora non inviti edent specimina: sed & mediastinos, ut & ex infima sorte, virtutis arbitrio assumptos, ne sui ceu novæ fortunæ alumni obliviscantur, ratio,

individuus virtutis Comes stimulat, & cœu flumina plenos suos alveos mari: ita hi dignitatum suarum decora ac exercendæ potestatis licentiam, soli, à cujus nutu tota pendet Machina primo Motori, acceptum referant oportet, haud obscure suggerit.

Et quemadmodum vagitus infantes, crepundia pueros, severiora studia viros decent: regere camelos, cicurare feras, ruentibus ædificiis succolare trabes, non puerorum est: ita incapaces, inidonei, rerum agendarum ignari, minus activi, pretiosi temporis improvide vel voluptuosè prodigi, tam benè Consilii Principis quadrant, quam junctura elephantis & agnelli & æqualitas pusionem inter ac gigantem.

Humilis ingenii hominem pronuntiant Ethici, qui solam in Vita, Moribusque imaginationem ducem sequitur, & ea quæ ad folius corporis lubitum referuntur, solum æstimat: hujus enim melior pars Mens, passionibus corporis obruta, fatiscit, sui que dissimilima redditur.

Dissimilis sui Principis Consiliarius est, qui non virtutis, sed propriæ utilitatis studio cuncta facit, qui prætensâ Principis autoritate turgidus, propria dilatat aulæa, perfumat altaria, ut solus extra fumum adorandus conspiciatur, solus Populi Sacerdos, non qui, peccata tollat, malis medeatur, benedictiones partiatur, sed qui pingvia holocaustorum pro se accipiat, sanctuarii portas danti aperiat, nihil, vel non pro genio largienti, claudat, seque solum rerum cardinem, mediumque sine quo nulla Salus, unicè necessariùm reddat. Hic est qui foelicitatem Provinciarum in manu habere, & velut Sydus quoddam primæ magnitudinis influxu suo subditæ plebis varia fata constituere præsumit. Admitti in conspectum hujus ingens favor, dignusque quem multorum dierum inutili cursu & patientia Tibi compares! hujus Fortuna in fastu suo adoranda, tanquam Communitatis provisoris salutaria Consilia coram effusè laudanda, excelsissimæ potestatis ponderosa sollicitudo & plus usurpata, quam commissâ publicorum negotiorum cura tan-

tanquam quod petis, ut obtineas, propitiāq; tantam dignitatem habeas, certissimum Argumentum longa serie recensenda. Hic obsessum suis artibus Principem justioribus Consiliis non patere finit, neque ullum benevolo Principe frui patitur, nisi quem probaverit privata ipsius utilitas & cunctorum facultatibus per varios astus inhians ambitio.

Privata Ministrorum Principis utilitas, quid? nisi malorum velut agmine facto irruens publicæ rei cacoethes, sphacelus æqui justique leges depascens, totidem Majestatis arietes ac salutis publicæ cuniculi; quibus suffossum justitiæ tribunal, calamitosam reddit Virtutem: hæc enim id honestum quod utile, justum id, quod ambitioni satisfacit, inverso novi Legislatoris instituto reputat. Nec prius privata publica; sub jugum rapere definit, quam prece audaci ac propemodum armata ipsi etiam Principi quæ volet, extorquere annitatur, atque in altissimas Spes taliter incumbendo se frustra sperasse impatienter ferat & injuriam dignitatis existimet, non obtinuisse, quod postulavit. Pulcherrimum soloque Principe dignum ingentium fortunarum Creatorem fieri, illud siquidem ostendere DEO proximam auctoritatem, quæ ad tantum opus sufficiat & depressos quoque homines in eam excellentiam evehere possit, quæ montium altitudinem æquet; speciosa horum sunt Consilia. Cui accedit Aulæ securitati consulens provida diligentia, utilissimorum hominum aut remotione aut ne emergant oppressione & veracium sermonum parcitate, quibus non minus invisum veritatis jubar, quàm cometæ lumen.

Ut timeri his magnificum: ita Titulis effusè sepiri solenne; quibus obnoxios se cunctis reddere, est proton pseudos, Pseudo Politicos, ut sub Titulo defensæ Majestatis suam & vindicare Auctoritatem & ostentare Omnipotentiam queant, non ignari Populum stupere in Titulis & Imaginibus, lateantque post pietam hanc Imaginem, quidvis ausuri.

Duas olim erexerat antiquitas Columnas, quibus Lemma
non

non plus ultra superscripserat. Sic duæ sunt Columnæ quas in memoriale perpetuum, sibi erectas esse Consiliarius noverit. Una Majestatem Principis, altera Salutem Populi vel dormitanti, aut aliud cogitanti præsentis sistit, ultra quas nisi Consiliario sciendum, nil tentandum, hic principium agendi, hic scopus & terminus omnium moliminum esto. Hæ Columnæ expansas & ad raptum avicularum præpetes alas præscindunt, brachiis utrinque protensis ab accipiendo manus prohibent, pedes, oculos monent, non plus ultra.

Felicem Consiliarium cui talibus inniti fulcris, talibus super ædificari columnis datum est! hic enim tanquam per dioptras contracta in unum luminis acie, ex unius veritatis amore facit omnia, intrepide præsentia dirigit, futura circumspecte hario-
latur & è longinquo ventura, caute prospectat. Ex his columnis pendentem Justitiæ stateram, in defensione à vi, fraudibus & injuriis; in sanctionibus, universorum tranquillitati, singulorum securitati cavendo tenet in æquilibrio; nil placendi seq; commendandi studio, nihil ex libidine in fraudem reservatæ Populo libertatis statuere; præmia virtutis dignis & munera idoneis conferre; pœnas delictis ita attemperare, ut non solum pœnæ meritum sed & utilitas ex pœna attendatur; cursum justitiæ, mandatorum alacri & non interrupta executione promovere; querulantes & injuriis delassatos sublevare; Principem ut ametur, & quia amatur, timeatur; salutem populi vegetam & florentem conservare, sunt pondera utrinq; æquipondium librantia, Consiliariiq; hoc opus, hic labor; meta, huc usq; & non ultra. Sic ipse Consiliarius prudentia, mansuetudine, æquanimitate semper sibi similis, cunctis facilis & apertus, post has Columnas tutus à procellis, tutus à tempestatibus, quibus impeti nil antiquius, stat; rebus angustis animosus atque fortis apparet, sapienter idem contrahit vento nimium secundo, turgida vela. Ad has Columnas cubantem, non Civium ardor prava jubentium, non vultus instantis tyranni, mente quatit solida. Hic ficcis oculis
mon-

monstra natantia, videt mare turgidum & infames scopulos, Acroceraunia.

Sed & felicissimum talibus Consiliariis Principem, quorum bene gestis optimè audiat Princeps, quorum Virtutibus longe latèque oculata Majestas, potentia, benignitatis & justitiæ diffundat radios; sub quibus absque ambitiosa nimia potentia ostentatione, floreat subjecta Societas; stabiliatur cunctorum incolumitas, expientur injuriæ, pax & Justitia in mutuos ruant amplexus; lætus agricola suam putet vitem, suum colat agellum, certus uvas, certus semetem, præter laborem, sibi datura; in egenti familia quæri non metuit, quæ in illa non sunt; quisque elementis libere utitur suis; promptissimi tantæ felicitatis intuitu, ad quævis obsequia, ad quævis pericula sine murmure faciles subditi; signis armisque militaribus bona precantur, bene volunt, fortunatosque successus suæ tranquillitatis certissima præfagia subjectis humeris, promovent. Sic Princeps Corpore licet remotissimus tanta regendi felicitate, grata Majestatis præsentia ita adest, ut nullas sive publicas sive privatas eludi Spes, vel Momus arripiat querulari; tamque prudentibus aurigis, habenis equorum commisis, currum ad vota moderari, faustosque omnium ordinum clamores, ambitiose optantium, ut Civium annos in tam charam conferat DEUS Majestatem, nullo jubente, nullo extorquente, resonare, sibi, suisque meritò gratulabitur.

Tales, uti invenisse multi laboris & vigilantia: ita amississe doloris est acerbissimi jacturaeque gravissimæ. Cæco cuncta regi impetu, necessaria rerum volutioni eventus adscribere, summi Entis perfectionibus injurium est. Membris nobilioribus mutilatum corpus, corpus quidem esse haud definit; deficit nihilominus aliquibus quæ dum adessent, ut debebant, ad perfectionem totius contribuebant. Dum enim Princeps talibus curarum sociis destituitur, quis erigendo de lassata brachia, nisi sustententur ruinam Populi minitantia,

B

fuc

fricollabit? Quantum Reipublicæ, quantum Civibus potiorum Casu deerit, tot rerum dispendia, tot in perniciem conspirantia mala, tot vanæ querelæ, tot solatio destitutorum frustranea sed profunda suspiria, abundè explicant.

Tui Causa hæc dicuntur Illustrissime SAMUEL KERESZTESI, qui Inclytos Ordinis Tui Collegas secutus, tristi decessu Consiliariatus resignasti Officium. Dignus, cujus absentiam doleat Princeps, obitum lugeat Dacia. Infœlix Dacia! cujus jam non unguves refecantur, non pili raduntur, sed ipsa nunc viscera immane quantum discerpuntur? Infœlix Dacia, quæ sibi relicta cum suis colluctatur malis, in proprio sanguine suffocanda! Cujus stamina, quasi carie mortis exesa, alternis vicibus ruunt: Cujus luminaria inducta intermedia opacitate, omne quo alios illustrabant lumine, privantur: cadunt quorum Consilio, quorum auxilio stare quæta, perseverare fida debuisti: cadunt qui contractas tabulas rupturis aptare, & ruinas reparare provide ac prudenter, assveti noverant. Solis motum duodecim signa Zodiaci explicant; Eccliptica Daciæ vix uno atque altero signo cursum nostri Solis metitur, cujus motu & lumine orbata, quid? nisi inordinata diei & noctis distinctio, vel potius meræ sub quibus vix palpando gradiaris, tenebræ.

Te inquam Inclyte Heros meritò lugebit, qui dum viveres Consilarii Principe digni partes explere, satagenter studuisti, post mortem qui Te sequentur, quales esse debeant, prævisisti, tantoque plus meruisti, quanto plus præstat, qui non solum in vita agens, sed & post mortem loquens, indubitata suæ fidei in Principem, amoris in Patriam dat Specimina.

Cujus natales, generisque originem si altius consideres, ad hoc natos, ad hoc à natura factos KERESZTESIOS esse animadvertes, ut supra vulgarem sortem publicæ salutis custodes, Reipublicæ columina, veriq; Patriæ Patres sint & audiant. Transdanubianæ Hungariæ ad Canisiam tractus KERESZTESIOS prodidit.

Nomen, Familiæ signum militiæ Christianæ Cru-

Cruciata cum Andrea Rege Hungariæ post Hierosolymitano dicto, Religionis studio in terram sanctam expedita, indidit, & uti olim Constantinus in hoc Signo vicisse se credidit: ita ab hoc, mutato per præclare gesta nomine, continuata nepotum ferie erga communem Christiani sanguinis hostem militasse KERESZTESIOS constans Familiæ traditio perhibet: Inde fortium in bello factorum insigne, perpetuum virtutis memoriale, erecti Leonis, cruore tinctum ac capite hostili avulso turritum, conveta Regibus benè merentium Virtutis compensatione, Ense tenentis, nacti, religiosos se militiæ sectatores, quasi Sacramento obstricti strenuè comprobarunt. Donec gangrænæ instar perniciofa in viscera Regni Apostolici serpente hostis potentia, unus è KERESZTESIUS juvenis acer ac in hostem audax in prælio succumbens, ab hoste captus, compedibus vinctus, opera charæ Sororis charo libertatem vitamque redemisset. Qui vix squallidi carceris oblitus, cum Canisia Sororem & quicquid facultatum habebat, amisit; novæ ideo se Fortunæ committere coactus, Transylvaniam petiit: ubi tam originis quam præclare à tempore immemoriali gestorum meritis, brevi se notum imò indigenis notiozem æstimationemque reddidit, ut mox locuplete matrimonio ditatus, dextra sibi honores virtutum præmia, Familiæque stabilimentum quævisse non solum sed & reperisse censendus fuerit. Filius hujus Paulus rarissimo exemplo, ita post emerfit ut insignis adjacentis Transylvaniæ tractus Caransebesiensis & Lugasiensis Banus, confinis post occupatum Temesvárium Turcis Lippæ, supremus crearetur Præfectus; tanto integritatis argumento, quo majus ac evidentius quis honoris avidus ambiat. Quis enim Fide illis dignior, in quorum finum secure Princeps caput reclinat, quibus intimi Principum recessus patent; quanto magis dignissimi quibus & securitas Principis & Salus Patriæ, tranquillitas finium concedita sunt, qui soli quasi unus pro omnibus excubando, pervigili prudentia qui-

eti omnium consulunt. Scilicet chara illa Sedes, omnis generis quæ tellus profert naturæ donis ac commerciorum à situ commodis nobilitata Regio, verè Transylvaniæ clavis, huic concedi, hujus curæ committi debuit, qui priùs vitæ discrimen, bonorum jacturam, Principemque inclementem experiri mallet, quam tanto Christianitatis, tanto rei Transylvanæ detrimento, barbarum successorem declararet: hæc quippe corrivalem Principatus Transylvanici cellissima regnandi ambitio invaserat, ut acheronta movendo, manum licet pollice truncatam, tamen avidè pro integra arriperet; quam ne totam, qui tenuit amittere cogeretur, partem hanc nobilissimam, licet invitus, amitti maluit. Hæc siquidem sæpe Virtutibus Mundus Politicus præmia largitur, ut pro ratione Status, virtus pro vitio reputetur: satius tamen est notam Legislatorum, quam conscientiæ, indefessi domestici Judicis experiri. Palmam quod pressa, in altum nihilominus enitendo surgat, virtutis non vitii Symbolum esse, volunt Symbolici. Is qui declinatæ erga mandata Principis observantiæ ex amore Patriæ sanguinisque Christiani licet ortæ, reus declaratur; mox summi Justitiarum titulo ornatur, mox in Præsidentem Statuum, mox in Oratorem pro Communi Libertate & oppressi cujusque necessitate, deligitur. Quo quidem quomodo perfunctus sit Officio, hariolari haud difficile, quia sub illo qui summus Justitiæ Custos audiri voluit.

Quem vitæ saturem laboribusque fessum excipit Filius, verus Paternæ virtutis hæres FRANCISCUS, cujus pariter fidei, cujus integritati non modo finitima terræ ab Hunnidibus dictæ Arx commissa, Comitatus Tordensis curæ traditus sed & binorum Principum insigni virtutis KERESZTESIÆ documento, Consiliorum, concedita sunt sacraria.

Huic debet vivendi originem SAMUEL cum Fratre PAULO, cujus, virtutem KERESZTESIAM ad se quasi per traducem derivatam ac in se terminatam luctuoso at honesto fune-

funere claudere, hæc gloria est. Semina Morborum à Parentibus in liberos transplantari, frequens est; sed & virtutes non modo habitum Corporis, aſvetudines ac nutrimenti modum, verùm geniales Parentum Spiritus ſequi, haud inſolens. Imaginationis in vita agenda maxima vis, & earum, quæ ut plurimum virtuoſæ vulgo vocantur, actionum, prædeceſſorum veſtigia, calcar & incitamentum. Qui ſpirituoſo incaleſcit ſanguine, rebus agendis plerumque par eſt. Bona educatio mallei & incudis in efformandis moribus, præjudiciis que emendandis vices ſubit ac polituram ſuperaddit.

Poſteaquam Noſter Anno ſupra Milleſimum Sexcentiſimum Quadrageſimo primo, felicibus auſpiciis Matre, Patris nobilitati pari, in lucem editus eſſet: hoc felicitati ipſius acceſſit, ut educatione uteretur, mox ab ipſis uberibus ad culturam compoſita. Aula Principaliſ ſovebat ipſum in gremio. Princeps Juventutis ad æmulationem provocabat. Vir ſolida eruditione celebris, melioribus ſtudiis animum inbuebat. Et ſiquidem iſto temporis articulo inſignis bellaturiendi appetitus cunctos invaſerat, indomitus ignis habenas Provinciæ tenentis præcordia, aucupandæ auſtioris gloriæ fomentabat, & vel diſcurſus inviſus omnis fuerat, qui non de cogendis copiis, de conferendis ſignis, de ſtruendis in hoſtem aciebus, de populandis in hoſtico terris, agendis ſpoliis ferebatur. Nec grata facies, niſi efferati militis; nec amœnus vultus niſi trux; & cædem minans; neque corporis habitus elegans niſi ad ſui neglectum vel militarem levitatem compoſitus; nec grata vota, niſi quæ nondum obtenta ſed cupita laurea effuſè gratularentur: non potuit non illo impuberibus licet annis noſter igne corripì & inter ſtreperos gladiatorum motus, plus de haſta, quam de penna cogitare. Unde excito Provinciæ flore, totaque in vicinos Sarmatas belli phalange mota, vix noſter contineri potuit, quin magnis auſis ceptum at ſera pœnitentia majori infortunio finitum, hoc ſequeretur

bellum; cuius imbellia pro alligando acinace præcordia conatui inhibendo dum fat haud essent; Parentum votis, splendideque conversationis authoritati tandem ut pareret, accedendum fuit. Usque dum gloriosi si domi mansisset regiminis impatientiam ultura, non citius, nec prius tanti moliminis auctorem pertinax Fortuna urgere desineret, quàm spirituosus in effortam telurem sanguinis rore effuso, melioribus si mature sapuisset fortunæ amplexibus dignior, suam suorumque extinxisset spem, ac ut ipsi vita, ita Provinciâ periculoso auxilio fulta, Barbariq; arbitrio relicta, domesticis proximisque suis, cedendum fuisset; cum quibus comes ingrati itineris nôster, pariter emigravit; brevi verò post sub signis Aquilinis veterana *Kerekesfororum* avetudine in Barbaros tanta alacritate focia arma junxit, ut comitate, agendi promptitudine cunctis se commendatissimū redderet, dignumque qui non modo in notitiam sed & imperia ductantium exercitum ritè referenda ac exequenda adhiberetur. Verum uti bellorum initia quidem certa, spes dulces, at eventus incertus sæpeque acerbus, ac res ingentium moliminum momentum temporis, haud rarò sine claudit insperato: ita victoriam quasi semper in manibus foret à parte sui stare, sibi persuadere temerarium. Fortunam non immeritò sine pedibus credidere Scythæ, quæ manus & pinnas tantum haberet & cum manus porrigit pinnas comprehendere non sineret. Incauta ambitio, sibique non constans aliorum infra se despectus, imminentis plerumque ruinæ haud dubia causa. Adspirare siquidem fœlicitas licet videatur, ad ultimum tamen temeritati haud sufficit. Quis enim nescit Leonem minimarum avium aliquando pabulum fuisse? quis ignorat nil tam firmum esse cui periculum non sit etiam ab invalido? Incautum meritò qui felicitatis suæ frænos pro imperio tenere & Fortunâ ad assentantium Consilia regere posse, sibi imponi patitur. Vires quippe hostium non copius sed animis pensandæ, momentaque temporum ita belli duci in numerato ha-

ro habenda, ut iis recte usus, eventus tandem in potestate habere, censendus veniat. An proprio fastu? an hostium opportuna celeritate? vel suorum dubia fide? victo, fugatoque cui noster intererat exercitu, Dominum cui se addixerat in prælio, unguis equorum si famæ fides, sepultum, amittit, & ad tutiora optimo consultore, amore ad meliora se conservandi, cum fugæ sociis gressus retrahere cogitur, infelicique militiæ tam diù interesse non detractat, quam mitissimus Imperator Fortunas alio inclinantes, nostrum quoque sequi, benignissimè annueret. Qui, contracto tandem tam crudeliter in proprium sanguinem sæviente ferro, compositis tot malis jactatæ Patriæ rebus, relictos repetit focos, & sale soloque penatum potitus, de eligenda vitæ, Fortunarumque Socia, ætate huic sacro apta, cogitat. Procatur unicam Consultissimorum Juris Magistrorum STEPHANORUM Filii & Nepotis FRANCISCI KASSAI, Filiam BARBARAM nunc viduato statui illachrymantem pietate, mansuetudine, humilitate, & benefaciendo Illustrem Matronam, cum qua, octo supra triginta annos cohabitando, suscipit proles vitæ socialis ornamenta, amaritudinum lenimenta, futurorum spes, & Familiæ decora.

Ast mireris lubricitatem ædificiï, quod non in proprio ædificatur fundo! Mireris momenta temporum quam parum conceptibus nostris se metiri patiuntur! Mireris id quod longissimum omnium est, Spem, quam arctis sæpè præscindi parenthesisibus! Mireris mortalium altissimas vanitates, bonis realibus quam infeliciter æquiparari! Qui varia sibi nequit à Centro sui pendentia Systemata, ponderat eventus propria potentia terminatos; is se curis, is anxietatibus immunem, is vulgi nimietatibus liberum reddit. Etenim licet Jndica tellus, longè tua jura tremiscat, & serviat ultima Tuule, Famem, atras pellere curas, miserisque fugere querelas non posse, potentia non est. Quid isthoc thesauri genere incon-

stantius? Quid Stirpis in feram posteritatem propagatione incertius? Mors parcere nulli scia, circa vota KERESZTESIANA tam diu sua ludit dramata, quam diu ramos viridescentes amputando, fructiferam sterilefcere faceret arborem. Spes futurorum inanes ingl'orie decollavit, dum charissima tantæ spei pignora calidis votorum amplexibus, eriperet, id solum reliquum volens, cum idem cuique emetiendum sit flere eum, qui antecessit, dementiæ esse. Anguste fructus rerum determinat, qui tantum præsentibus lætus est. Delectant etenim tam præterita, quam futura, hæc expectatione, illa, memoria; sed alterum pendet & non fieri potest; alterum, non potuit non fuisse. Tanto itaque æquiore animo tulit, hanc domus, votorum, stirpisque suæ jacturam, quo dolere dum dolendo nil proficeret, supervacaneum esse deprehenderet, taliterque fati animi sibi paravit etiam adversus solida mala, nedum ad istas malorum umbras, quibus ingemiscunt homines mortis causa. Nec enim vacuus vixit curis, non amaritudinibus vitæ immunis, nec extra tempestates fuit. Jactavit ipsum sua cymbula, cui ceu alter palynurus quisque præest: & quemadmodum in vasto mari naves grandiores turbinibus actas ita intumescences fulcare aquas, ut obvias quasve naviculas infra se rapiant, multò minus in concitato cursu retineri se patiantur: imò oneratas classes, nequidem vadosa ferre freta: ita hæc & his similia, in qua vixit provincia, variis fortunæ casibus sibi suisque evenisse, expertus est. Expertus est nil non lubricum & fallax & omni tempestate mobilis. Jactantur cuncta & in contrarium transeunt jubente Fortuna; & in tanta volutatione rerum humanarum nil cuiquam, nisi Mors, certum. Miscentur aliquando interludia tristibus, lætiora; amaris, subdulcia, quæ inamœnæ cogitationi mentem diu inhærere, ne dehiscat, non sinunt; unde amor vitæ, cupiditas honorum & eventus solatio perfundentes, miscela jucundiori superveniunt. Hoc itidem nostro accidit,

cecidit, postea quam sub novo, quod victricia longè latèque Ar-
 ma, Daciæ horizonti induxerunt, Cælo, novo afflatus placi-
 dioris fortunæ favonio, ad optatum bonæ spei promontorium
 felix appulisset; publica quippe in eo servitii genere, in quo
 plures impingere non insolitum, & quod occultis fraudibus
 æquis & iniquis subtractionibus ac nimium aliquando sensi-
 bilibus ditandi modis, obnoxium est, dedisset tam fidei quam
 activitatis testimonia, luculentaque nisi volenti, vel se volu-
 tanti nihil de his paleis adhærescere, documenta. Commis-
 sariatus hoc Officium est, quo sustentationi, quo stipendiis,
 pro Patriæ salute, pro sacrorum securitate, pro Coronæ, pro
 Sceptri, Diadematum Majestatis vindicatione excubantis Mi-
 litæ, ex Provincialium facultatibus, prospici debuit. Juris
 equidem naturæ est, Societatem in expensas Principum ita
 contribuere, ut iis, Princeps par esse possit; sed & cavend-
 dum, ne isthoc officio functis, id accidat, quod urnis & si-
 tulis, quæ ad extingvenda incendia plena hauriuntur, sed
 longa per manus traditione & concussionem vix medium con-
 tinent, dum eo perveniunt ubi aqua igni est injicienda.
 Supra vires duplicata, triplicata & quadruplicata tributa, non
 multiplicatis ut olim M. Antonio Triumviro objectum æsta-
 tibus & autumnis, imponendo: & venditi sanguinis, parvi
 admodum æstimatæ vitæ mercede, obsequiosum militem fru-
 strando, severitatis Majestatem ream argui, cavebit Commis-
 sarius, qui lachrymosas merces ita tractaverit, ut æquitate
 dantem & æquo sudoris præmio, accipientem, destitui non
 patitur; si sobriis & oculatis manibus calculos iniverit; si id
 quod afflictiis laribus extortum, non in suam converterit am-
 plitudinem; si non vel ipsas egenorum lachrymas, spongiæ
 instar inbiberit. Quis ignorat nostrum præter bonæ famæ
 sedula sui applicatione & justa æquaque repartitionis admi-
 nistratione partæ meritum, nil amplius sibi reliquum fecisse?
 Quis per fastigiatarum ædium structuram, per contex-

tam clancularie subtractio auro vestem, aut sanguine plebis purpurascens vel sudore madentem ac de singulis fimbriis sanguineas guttas, stillantem amictum; per juncturas phalatorum, per alligatos quasi invito ad præsepia ferocientes sonipedes, per crudelem, ad luxum plus quam necessitatem ereptis famelicæ rusticitatis altilibus instructam tabulam; per tot juga bovum; per palantes immensis ipatiis greges; per horrea frequentibus acervis, quasi totidem erraticis syderibus luxuriantia; per cellaria omne genus vini doliis repleta; per pendentia hinc inde monilia, ac ornata parietum aulae, nostrum Commissariatibus officio unquam functum esse, admonitum se, dixerit? Præfectorum Militæ favor, Provincialium amor, præmium laboris, mercesque superflui, fuit. Hujus testis, vel invida quavis exceptione major, exercitum exstatis in hosticum moventem sequentis, alacritas. Testis post exantlato hybernorum labores, ne necessariis in expugnando, quod antehac è manibus Avi exciderat, munimento Lippaiano, eductus miles destitueretur, sedula provisio. Testis quod honoris accessione, quod gloriæ stimulis non caruit; in consecuta ad victoris arbitrium munimenti, obsessorumque deditio, præsentia, ac à Militæ Duce obtenta liberalis fideique par remuneratio. Quam innotescens in dies, viresque fumente virtute KERESZTESIA & unanimi concordique ponderosæ authoritatis pro ipso interpositione, dignum meritis præmium, in Senatum Tribunitium adscriptio ac inter conscriptos Patriæ Patres ab Augusta Aula benigna recensio, Consiliariatibus scilicet, dignitateque primi in Transylvania Comitatus, supremi Comitibus, collatū ipsi munus excepit.

Voluerat quippe salutem Transylvanæ Augustissimi benignitas, Consilio nativi sanguinis duodecim virali ita consultum, ut optinorum delectu Majestas Principis in amore & timore, incolumitas omnium in æqua justitiæ administratione, non aliter quam privatae cujuslibet rei, sincere perennaret, Cujus inutile:

inutile membrum, expectationi non satisfaciens ignobile organum, nisi virtutis KERESZTESIÆ immemor, splendoris-que mutuati prodigus contemptor esse, nec voluit, nec debuit. Ecquis enim tantum quod jure naturæ, quod jure Majestatis nititur temerasse sacrarium audeat? Ecquis sacrilegas manus, oculos, pedes, cogitationes, Societatis vota, Majestatis voluntatem, sine ut excidant suo, habere non cavebit? Quis sanæ Mentis, navis, cujus gubernaculo sociali cura præficitur, cum sui periculo remos, velaque vel ignavus, vel maliciosus deserat? Quis studio malus, ubi bene audiri gessit, esse velit? Concordia res parvas crescere, discordia dilabi, docet experientia, confirmat sui Symboli veritatem, virtus Bâtava. Ordinem, rerum animam esse, Lex naturæ innuis, eventus probat. Punctum saliens primum vitæ principum, è medio efformat extrema partium. Motus periphæriæ regularis è centro fixo perficitur, irregularibus, excentricitates dant originem. Subitorum & sæpè moræ impatientium morborum remedia, præsens officina largitur, quæ sit ex monte, ex illo valle, ab ista declivitate ab hoc aquarum decursu, primum conquiveris, tarditati Curæ, vires fumentis, & non amplius medicabilis mali, ingratos eventus, meritò unicè adscriperis. Quis unitatem Collegii sui, quis tribunalis stabilitam sanctitatem sanctius nostro coluit? quis sociales unanimi studio pro sublevandis publicæ necessitatis oneribus operas impendendas, alacrius vel optavit vel stimula- vit? Quis neglecta rei domesticæ Cura, magis sedulus oneris impositi bajulus fuit? Quis officiis certavit promptius? Quis ut alios sibi devinciret publica privataque expleret vota citius aliena suis humeris imponi passus est? Quis obsequentius Majestatis præsentiam veneratus est?

Absentis Majestatis cultum, religiosæque fidelitatis documentum, in fastuosa rerum relatione, ambitiosa & pro cuius-que ingenio sæpe sublesta, qui fieri debeant, suggestionem, pro-

prii utilis ut plurimum quæsitâ projectatione, statueret, nec modum in fatiganda propriæ opinionis ruminacione Aulâ, tenendo, temerarium esse non ignoravit noster: tanto igitur alacrius, tam ad excipienda quam exequenda, excocta Aulæ iussa, aures præbuit; vires facultatesque suas supposuit; quin collatos Provincialium suffragiis honores lubens declinavit, probe animo tenens, ignavi esse militis Imperatorem gemendo sequi.

Et cum sub benevola Majestâte insatiabili quadam aviditate, pristini status pudor, cunctos eo abripuerat, ut nisi novis titulis, novoque aliquot syllabarum augmento amicerentur, à vilissima sorte dignosci posse non crederent; delicati licet conflictus artem esse, opprimere hostem deliciis & Politici regiminis utilissimam fraudem, subigere dignitatibus sapientiores non ignorarent. Petaci cupiditati quæ injuria si quod voluit in sui exitium obtinuit? Adigit quippe major jam claritas ad eos sumptus, qui familias opibus exhaustant; similesque arboribus reddant, quas nimia fertilitas exhaustit. Noluit noster civili huic necessitati, prodigendi opes se submittere & sub felicitatis larva, imprudentissimi factus, quam illustrissima post bonorum profusionem egestas, adferre potest, pœnitentiam agere. Maluitque domestica se metiri decempeda, & virtutem, quam titularum auctibus non pœnitenda parsimonia, egestati aliorum subvenire ac permanentes religiosa ceu pietas jubet, recondere thesauros. Maluit denique animi mansuetudine, cunctis pervia affabilitate, quibus intererat notus esse, quam rebus, quæ sola regit opinio, intumescere.

Non equidem à Majestâte alienum, in se, remque publicam egregie meritos, iis honorum gradibus, qui virtuti eorundem competunt, ab ignavis discriminare. Pretiosi enim lapides, nisi in loculamentis aureis vel argenteis, quibus clauduntur, pretium sui latens, haud exhibent. Virtus nisi præmio ornata, non plus est vulgò, quam vitia, quæ in mores

trans-

53.
transiere. Sed dum tituli bene meritorum communes fiunt, excelsus animus, qui nisi insolitis arduisque honoribus non excitatur, merito illos despiciat. Si in rebus agendis dexter, si penes virtutem sit, & si non petat, & si tacitus è longinquò stet sine promotore, sat est Principi ad conferendos huic potius, quam illi honores, commendationis; sat quippe petit, qui benè servit. Virtus quærenda, non opes, non aurum, non præmia, non fastus. Facile excitatur in populo ignavia, sublatis virtutis & benemeritorum præmiis. Quis enim ad fortia conferat animum, ut eo titulo honestetur, quem nunc habet, quicumque vult, habet autem non quantum quis meruit, sed quantum quis emit?

Optimum itaque est ad æquissimum, justissimum & oculatissimum Majestatis judicium, cum benè actis provocare; non emanentes pœnas, quia Justitiæ conformes & certissima præmia, benignitatis testimonia, præstolari; ab ore ejus pendere, & si cunctis non sufficias, ex unius veritatis studio, te Tui Principis committere arbitrio. Is enim sciet, te, pro tuo ingenio uti. Sit parvus sit magnus adamas, in opere tamen aurificio, suum monile decenter ornat. Nullum ingenium, nulla in regiminis contextu, Ministri indoles, quod suum non mereatur pondus, si apte utaris & posueris. Capienda siquidem ingenia, ea sui parte qua bona, non qua nociva vel vitiosa, dum nec rosas ea parte capis, qua pungunt, sed qua contactu molles, nec gladium ea parte prendis, qua scindit ab acie, sed quâ manubrium habet. Aliqui hominum cum non fuerint aliquatenus ad gustum, occasione altera utilissimi sæpè in rem nostram fuere, eorumque absentiam ingens secuta est, privatæ publicæque rei jactura.

Florentibus rebus fidelem esse, vel bonum, dùm malus esse nequeas, pro parte Consilarii vigilans & rerum suarum curiosus Princeps, non sumet. Sed & amissis quibus vita hæc, vix, ac ne vix quidem stare potest adminiculis, perditis

E

tis

34.
tis Statûs nativi sustentaculis, extrema quævis animose
subire, ac ex solo devotæ fidei Sacramento, confractis pro-
ra puppique, jactari in altum; nihilominus sententiâ non mu-
tari, nec unquam violati sacramenti minima labe fædari, est res
Principis gratiis digna, amoribus animanda & præmiis seræ
posteritati commendanda; insomnisque fidaciæ robur ac va-
lidum argumentum.

Hoc unum, post decollatos acerbo funere; inclytæ Stir-
pis furculos, post deletam propagandi nominis spem, post
superatas conquassatæ ac ad immanes scopulos allisæ Patriæ,
procellas, enixo anhelavit studio, pleno quæsit conatu,
junctis facultatum viribus laboravit; hæc summa votorum,
hoc Illustrissimi dum viveret SAMUELIS KERESZTESI
desideriorum compendium fuit; ut ab ore Augustissimi Pa-
triæ Patris, interna beatitate perfundentem, digni tali Princi-
pe Consilarii, digni tali Domino Servi, audiret sententiam,
è manibus acciperet approbationem, ac super arrepta hac
sui naufragii tabula, ad locum quietis suæ enataret. Nunc
autem facti conscientia preciosissima Merces, ipsum ornat, &
coram justissimo ac in novissimo die, his ad tremorem;
illis ad exultationem pro tribunali sedente Judice, pro ipso
intrepide perorabit.

Tibi verò qui laboriosæ virtutis in terris præmia præsto-
laris, hanc ex duabus Columnis pendentem, digno Principe,
digni Consilarii ICONEM in memoriale sui relinquit,
quæ, ut in vivas Patriæ suæ necessarias
transeat personas, precatur.



CONSILIARIUS

35

Non affectu, non voluntatis levitate sed virtutum meritis,
in partem Curarum à Principe assumptus.

Nihil suo Consilio, nil suæ laudi, sed solius
Principis, tribuit.

Onera & Odiæ Populi in se suscipit,
Sine ambitione publica curat,
Sine passione consultat,
Utilitatem publicam, non suam promovet.
Privata vulnera, reipublicæ malis non opplet.

Favorem Principis, in virtute sua fundat.

Est oculus in Sceptro, cujus perspicax visus se extendit
ad præsens, præteritum & futurum,

Est circinus, statutorum dimensor, occasionum inventor,
Sententiarum anima.

Est rota horologii, cujus occulto cum cæteris motu, solus ut
index horas indicet, temporisque di-
mensi auctor sit, efficit.

Est laboris Socius, non potentia.
Minister est, non Imperii Confors.

Triplicis fructus ex suis operibus collector est,
Conscientiæ, utilitatis publicæ & famæ,
Tantumque vult quantum potest.
Est tenax propositi, sed non pertinax.
Scit tutò aggredi, quia scit vereri.

Affe-

Affectibus non agitur, voluptatesque regit,
Pænas non ex libidine, sed ex
amore Legis infligit.

Panem non fulmina offert,
Aliorum malis indolet.

Industria, Patientia, Constantia, Temperantia, mode-
stia, frugalitate, taciturnitate, ardua superat,
impedita expedit.

Curatque unum necessarium

MAJESTATEM PRINCIPIS IN
SALUTEM POPULI:

Tantum.

